

1
6
516







THEOREMATA
PHILOSOPHICO-MEDICA,
DE
VITA ET MORTE:

QVORVM VERITATEM TVERI CONABITVR

FRANCISCVS CASPARVS SPRICKMAN,
OSNABRVGO-VVESTPHALVS.

IN AEDIBVS PATINIANIS,

MENSE IVNIO, DIE XIX. HORA XXI.



PATAVII, M. DC. LXXXV.
Typis Petri Antonii Brigoncii.

SVPERIORVM PERMISSV.

54

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO

PRINCIPI,

ERNESTO AVGVSTO,

EPISCOPO OSNABRVGENSI,

DVCI BRVNZVICENSI ET LVNEBVRGENSI, &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

FRANCISCVS CASPARVS SPRICKMAN.



Vm primùm ad ſacros Muſarum colles divertere cogitarem, in animum induxi meum, ſi quos fructus decerperem, eos ut primitias Tibi offerre ſacrareque, SERENISSIME PRINCEPS. Vix iter ingreſſum me Somnus tam altè occupavit, ut vivum eſſe

non

non ampliùs meminerim: Donec baculo nodoso excitatus quem gerebat Senex promissà barbà, coronatus palliatusque, ab eodem confirmatus fui & admonitus non quieti sed laboribus in posterum indulgendum. Sequere, inquit, & licet salebrosæ deterrimæque tibi videantur viæ, scias te Iovis nepoti & Apollinis filii manu duci. Numen reveritus, loca silvestribus sæpibus densa non iniquiore pede ac animo superare datum est, donec ad ejus Ædes pervenerim tabellis innumeris ornatas & SALVTI dedicatas. Has observantem me distraxit egregia virgo, qualem formosiorem nusquam videram, ab intimo templi aditu prodiens, pateram dextrà, anguem sinistrà tenens. Macte animo, inquit divinus senex, & Hygiæam agnosce Æsculapii filiam Tibi maximè faventem. In genua provolutus benefica Numina adorare non desistebam, cùm & ipsa se Patri obsequuturam, & mihi lubenter præsto futuram asseruit, cujus testimonium ad Lares meos portandum tradidit, unam ex appensis tabellis, à tribus vetulis gestatum, quas Parcas ex filo, colo & forfice intellexi. Postquam ad sacrum vestibulum secessissent, & ipse decessi via multò pleniore ac jucundiore, quæ mihi contigerant, perpendens & admirans. Quam primùm licuit sigillatam tabellam aperui, in qua vetustissimo more scripta erant hæc THEOREMATA PHILOSOPHICO-MEDICA DE VITA ET MORTE: Legi & perlegi, divinum quid sapere illa mihi visa sunt, humanarum rerum vices continentia, seu Fortunæ ludibria spectemus, seu Naturæ principium & finem,

uno vocabulo Fatum, ordinem seriemque causarum quam εἱμαρμένην Græci dicunt.

Eamdem hanc tabellam pro destinatis fructibus Tibi offerri ne graveris, SERENISSIME PRINCEPS, quam si benigno ut soles animo susceperis, me non minùs Tibi quàm propitiis illis Numinibus Æsculapio & Hygiææ sacratum volo.

De nostris annis Tibi Iupiter augeat annos.



THEOREMATA
PHILOSOPHICO-MEDICA
DE
VITA ET MORTE.

I. VItam nullus acciperet si daretur scientibus. *Plinius*. Sed necessarium est Deorum depositum. *Cicero*.

II. Homo à suppliciis vitam auspicatur, unam tantùm ob culpam, quia natus est. *Plin. l.7. in proœm.* Sed & matrem multùm fatigat: decimo enim à conceptu die, dolores capitis, oculorum vertigines tenebræque, fastidium in cibis, redundatio stomachi, indices sunt hominis inchoati. *Plin. l. 7. c. 6.*

III. Vita nostra sit ævum quo alimenti interventu vegetatricis animæ opera subsistimus.

IV. Fœtus in utero vivit vitam plantæ: quia ipse sibi non parat alimentum, quod animalium est perfectorum, sed parato alibi scilicet in corde & hepate materno φυτοῦ βίον, διὰ τὸ προσπεφυκέναι. Vivit vitam plantæ, quia adhærendo matri vivit, non secùs ac planta terræ. *Aristoteles, 3. de gen. 2.*

V. Tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, spiritu. *Cicero in Tusc.* quibus vel seorsim cessantibus, ipsa perit.

VI. Cibi necessitatem manifestat fames, quæ oritur quando tunica intima nervea ventriculi & orificium ejus sinistrum, à particulis fermenti salinis, acrioribus, acidisque in se mutuò (ob defectum alimenti exsolvendi) agentibus, planè roditur ac vellicatur.

VII. Potionis verò desiderium quod sitis appellatur, fit cùm fibræ nerveæ ventriculi, & orificium ejus sinistrum à particulis fermenti salinis, lixiviosis, acrioribus & siccioribus propter caloris excessum corrugantur & contrahuntur.

VIII. Cibus & potus antequam substantiæ nostræ assimilentur, varia alteratione, depuratione, motu tam locali quàm fermentativo, aliisque opus habent.

IX. Primò namque cibus ore assumptus masticatione cum saliva alteratus, per œsophagum ad ventriculum delabitur, inibi à fermento & calore proprio ventriculi in chymosam substantiam transmutatur; hæc per pylorum ad tenuia intestina delata & ab alvinis fœcibus secreta; mox per vasa lactea & ductum chyliferum sanguini confusa, in corde demum perfectionem accipit. Et hæc est sanguinis generatio.

X. Materia hæc quam sanguinem nuncupo, prævia diligenti ac variâ defæcatione in nutriendas omnes corporis partes per arterias devehitur, quæ verò minus elaborata ac superflua est, à venis exsugitur & pro ulteriori perfectione ad cor revehitur. Sic fit continua sanguinis circulatio.

XI. Sine spiritu seu aëre nemo vivit: Respiratione enim æstus sanguinis refrigerari oportebat, quæ alternata thoracis dilatatione & constrictione,

56

pulmonumque expansione & considentia ac aëris reciprocatione conjuncta perficitur.

XII. Vitalitatem quoque manifestat pulsus, qui nihil aliud est, quàm sanguinis è cordis auriculis in ventriculos, è ventriculis in arterias alternans protrusio, facta à corde inalternante auricularum & ventriculorum systole, mediantibus fibris muscularibus se se coarctantibus.

XIII. Vita optima est, quæ in sanitate peragitur, prava quæ in morbis *Galen. in comm. l. 6. epid.* Hinc sanitas summum Dei bonum est, quam Antiqui tanquam Deam coluerunt, quin per ejus nomen jurabant. Quia hæc à Medico producitur, hinc ΥΓΙΕΑ Æsculapii filia censebatur.

XIV. Non vita hæc dicenda est quæ corpore & spiritu continetur, sed illa duntaxat quæ viget memoria sæculorum omnium, quam posteritas alit, quam ipsa æternitas semper intuetur. *Cicero.*

XV. Germanorum candor, aut Æthiopum nigrities effectus quidem sunt secundùm naturam, non tamen sanitas, quia non obtinent rationem causæ opus aliquod producentis. *Varandæus, Pathol. c. 3.*

XVI. Integritas actionum & sanitas sunt synonima. Utraque enim vel actum indicat vel potentiam absque ullo impedimento.

XVII. Hanc constituunt primariò Temperamentum laudabile; Organica structura decens; demum Unitas seu continuitas partium.

XVIII. Concretis quosdam ossibus ac sine medullis vivere accipimus: signum eorum esse, nec sitim sentire, nec sudorem emittere. *Plinius lib. 7. c.* 18. Rari illi sunt admodum & *Cornei* dicuntur. *Id. c. 19.*

XVIIII. Vita in corde tanquam in penu condita est in universas corporis partes beneficium distribuente: hoc igitur primum vivit & ultimum moritur.

XX. Nativus calor nullo modo est ignis aut igneus, sed divinam habet naturam: ex eo patet quòd ignis nihil vivens generat, sed solus calor viventium in semine propagatur. *Aristot. de gener. animal. l. 2. c. 3.*

XXI. Duplex in viventibus est humidum; aqueum seu elementare unum: pingue, aëreum & radicale alterum. Non secus ac ellichnium reparatur solo instillato oleo & similibus, nullo modo liquoribus aqueis.

XXII. Nemo sine calore vivit; frigidissimæ plantæ, papaver, mandragora, &c. calorem habent præter elementarem, humido suo primigenio oleoso & pingui implantatum, per totam substantiam sparsum, sine quo non viverent.

XXIII. Vita brevis, ars longa. *Hippocr. 1. aphor.* Vita brevis est cursus gloriæ sempiternus. *Cicero pro Rabir.* Ideo vitæ nostræ cursus citatissimus, & prorsus nihil aliud est, quàm ad mortem iter. *Seneca de brev. vitæ.*

XXIV. Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam. *Horatius.*

Tempora labuntur tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies. Ovidius.

XXV. Vita hominum ut annorum numeris non subsistit, sic etiam non sustentatur. Vanus itaque & superstitiosus, imò ridiculus Climactericorum metus, quos novies septem monadibus, seu annis LXIII. comprehendunt, qui talibus nugis delectantur.

XXVI. Vita hominis, quòd septem dierum sit, ex hoc manifestum redditur, quòd si quis per VII. dies nihil edat aut bibat, in ipsis moritur: sunt au-

autem qui ipsos transmittunt, attamen moriuntur. *Hippocr. de Carn.*

XXVII. Vita comparetur arbori, quæ primo vere folia induit, pulchra est & viret; mox ventus & ictus folia pauca decutit: tum æstus aut siccitas, denique hyems omnibus spoliat & nudat. *Lipsius*.

XXVIII. Vita artis medicæ beneficio aliquantulùm prorogari, longiorque reddi potest, efficiendo ne putredo in corpore oriatur, & ne siccitas citò marcorem & mortem inducat. *Avicen. fen.* 1. *c.* 1.

XXVIIII. Vitam salubrem omnis expertem noxæ traducere eos qui sunt humidiores, sive secundùm cerebrum tantùm, sive corpus universum, non contingit. Ex eo constat, qui sicciores sunt, salubriores degere. *Galenus in l.* 6. *aphor. comm.* 2.

XXX. Longiorem vitam efficiunt, proba temperies, firma corporis compago, cœli clementia, soli & regionis bonitas, cauta victus ratio, prudensque rerum utilium usus. Ex iis tamen non tantum reparatur quantum effluit, hinc mori necesse est.

XXXI. Vitæ optimum genus delige, id enim jucumdum efficit consuetudo. *Galenus*. Labor, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria. *Hippocrates, lib. 6. epid. aphor.* 5. Victus ratio pendet à ciborum potuumque delectu substantia, quantitate, qualitate, ordine, tempore, ac consuetudine.

XXXII. Minuunt vitam intempestivi labores, vigiliæ, curæ, animi perturbationes, metus, dolor, tristitia, effrenes sensuum cupiditatumque motus, præsertim rei venereæ vitam rapiunt. Concubitus frequens corpus exsolvit. *Celsus l.* 1. *c.* 1. Quia inquit Aristoteles, *l.* 1. *probl.* 6. & 22. ei succedit dissolutio & languor.

XXXIII. Homo & Elephas diutissimè vivunt. *Aristot. de longit. vitæ*. Falsa planè quæ de Phænicis longævitate circumferuntur, quin & Phænicem aut vivere aut vixisse falsissimum ducimus.

XXXIV. Cæteris animantibus determinatum est concumbendi & pariendi tempus, homo solus animantium nullo non tempore in libidinem fertur, toto anno gignitur. Hinc præmatura mors. *Plin. l.* 7. *c.* 5.

XXXV. Senium ætas ultima vitæ morbus est. *Seneca*. Ob siccitatis excessum & humidi excrementitii copiam: Etiam propter irreparabilem annorum decursu, caloris fugam. Maximè propter perennem triplicis substantiæ jacturam.

::: *Festinat enim decurrere velox*
Flosculus angustæ, miseræque brevissima vitæ
Portio, dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus. Juvenalis.

XXXVI. Senium sanitas seu vita commoda maximè prorogatur balneo, humectante cibo, quiete & somno. *Galen. l.* 5. *de san. tuenda*. Mulso intus, oleo foris, animi, corporisque vigorem, ultra centesimum annum custodisse Pollionem Augusti hospitem asserit Plinius, *l.* 22. *c.* 24. Utinam id omnibus naturis conveniret.

XXXVII. Via eligenda est planissima, vita verò jucundissima. *Socrates*. Læti dicamus,

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi:

Crastinum si adjecerit, læti recipiamus. *Seneca*. Vitam erroneam qui degunt,

57

gunt, his pericula & ægritudines magis accidere quàm his, qui ordinatæ vitæ rationem habent. *Hippocr. in orat. Theſſ.*

XXXVIII. Natura nihil hominibus brevitate vitæ præſtitit melius. Hebeſcunt ſenſus & membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta, & tamen vitæ hoc tempus annumeratur. *Plin. l. 7. c. 50.*

XXXIX. Quidquid avium volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus. Quare nunc, cur ſubitò moriamur, patet: mortibus vivimus. *Seneca, controv. l. 20.*

XL. Pro miraculo, & id ſolitarium reperitur exemplum, Xenophilum muſicum, centum & quinque annis vixiſſe ſine ullo corporis incommodo. *Plinius, l. 7. c. 50.*

XLI. In Taprobana Inſula & Arabia felice, ob regionis temperiem, perpetuamque cœli clementiam, longævos eſſe homines compertum eſt ad CXXV. annos. Ita in monte Atho μακροβίες eſſe teſtantur veteres. Cæterum cæteris hominibus infeliciores.

XLII. In Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempſin, CL. annis vivere, poſt Mutium autor eſt *Plinius, hiſt. nat. l. 7. c. 48.*

XLIII. Vitam breviorem efficiunt maximè perpetuus humidi primigenii fluor, quo veluti pabulo vita fulcitur. Nativus enim calor ætatis decurſu humidum illud aſſiduo depaſcitur, ut accenſus lychnus oleum abſumit. Hinc abſumpto pabulo vita finit.

XLIV. Mors eſt extinctio nativi caloris, ex *Galeno, l. 2. de temper.* Omnimoda naturæ proſtratio, *l. 3. de criſ.* Frigiditas & ſiccitas, ex *Alberto Magno, de juven. & ſen.* Animi & corporis copulæ diſſolutio: ſive corporei ſenſus abolitio. *Cicero*. Ita quod mortale eſt & caducum perit, quod divinum æternumque eſt, ſupereſt.

XLV. Ita differt à morte vita, ut lux à tenebris, à viſione cæcitas, à motu quies. *Ariſtoteles*. Ideoque mors vitæ privatio dici poterit. Et relictio corporis, & depoſitio ſarcinæ gravis. *Auguſt. ſup. Joan.*

XLVI. Mortuum non dicitur de animali, niſi cùm caruerit communicatione, quam habet cum plantis. *Averrh. lib. 2. de anima*. Hæc habebatur optima Ethnicorum Philoſophia, donec omnimodè à Chriſto S. N. aliud docente perfecta fuerit.

XLVII. Multi exſtitêre qui non naſci optimum cenſerent, aut quàm ocyſſimè aboleri. *Plin. l. 7. in proœm.* Quia non naſci & mori rem ſimilem putabat Euripides. Τὸ μὴ γένεσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω.

XLVIII. Mortis meditatio eſt Philoſophia: ſcilicet victoria mentis ſuper affectus beſtiales. *Plato*.

XLIX. Mortis cauſæ fatales duæ ſunt: morborum proventus, & infirmitatis acceſſio. *Hippocrates*.

L. Morborum verò proventus maximè ab immoderato rerum non naturalium uſu oritur. Qui ſanguinem & ſpiritus depravant, corpus alterant & infinitos morbos pariunt.

LI. Mors duplex eſt: Violenta, cujus principium eſt ab extra: & naturalis, cujus principium eſt ab intra.

LII. Mortem à Diis immortalibus non eſſe ſupplicii cauſa conſtitutam, ſed aut neceſſitatem naturæ aut laborum aut miſeriarum finem eſſe cenſuit

Cicero. Itaque sapientes eam nunquam inviti, fortes etiam sæpè libenter appetiverunt.

LIII. Mors naturæ finis est, non pœna. *Cicero pro Quinct.* Mortem tamen esse pœnam peccati docet SS. Christiana religio. *Ex Paulo ad Rom.*

LIV. Mors & corruptio sunt fines metaphoricè, non autem absolutè: quia etsi sint ultimum, non tamen eorum causa sit aliquid. *D. Thomas* 5. *metaph. l.* 18.

LV. Mors non est ultimum ut finis perficiens sed ut destruens omnem vitæ operationem. *Albertus Mag. Eth. l.* 1. Unde apud Themistium in *l.* 1. *Physic.* Mors quidem ultimum non finis tamen, quia non est id quod præstantius est.

LVI. Mors maximè omnium rerum est horribilis, cùm terminus sit & nihil homini mortuo sive bonum sive malum accidat. *Aristot. l.* 3. *Eth. c.* 6.

LVII. Ubique suavius est vivere quàm mori prudentibus. Quin malè vivere præstat quàm bene mori: Κακῶς ζῆν κρεῖττον ἢ καλῶς θανεῖν. Nihil enim est pretiosius animâ. *Euripides*.

LVIII. O Mors tu sola malis incurabilibus mederis; nullus enim dolor sequitur mortuos. Hinc Mors omnium mortalium portus est.

LIX. Duæ sunt mortis doctrinæ: altera, tempus antequam nati sumus; altera, somnus.

LX. Speusippum cruribus resolutum Diogenes hortabatur ut seipsum vitâ privaret; Cui ille, Non cruribus dixit, vivimus sed mente. Alteri cuidam dicenti, molesta res est vivere, respondit idem Diogenes, Non, sed malè vivere.

LXI. Julius Cæsar & Philippus Alexandri Magni pater, pridiè quàm trucidarentur, in sermone orto, quisnam esset vitæ finis commodissimus, Repentinum inopinatumque censuerunt & prætulerunt. Quid ita? optima mors, sine metu mortis mori. *Seneca*.

LXII. Ita vivere ut non sit vivendum, miserrimum est; mori autem nemo Sapiens miserum duxit, ne beato quidem. *Cicero*, *l. de Sen.* Sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultus iniquissimo. *Idem ad Att.*

LXIII. Mors honesta sæpè vitam turpem exornat: Vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit. *Cicero in Verrem*. Turpis mors forti viro nequit accidere, neque immatura Consulari, nec misera sapienti. *Id. de leg.*

LXIV. Fato vivimus, languescimus, convalescimus, morimur. Medicina quid præstas? nisi ut juxtà te nemo desperet. *Quintil. in declam.* Quia verò semel nati sumus, bis nasci non licet; sed necessarium est ætatem finiri. *Epicurus*.

LXV. Mors juvenum difficilis est supra modum, eo quòd instrumentum animæ & adhuc in medio complexionantium existens, fortissimum habet sensum & difficilis separationis ab anima. *Albert. Mag. l.* 5. *Physic.*

LXVI. Mori in senectute est sine dolore: nulla enim violenta passio adest sed insensibilis animæ solutio fit. *Aristot. de juvent. & sen.* Pro anima vitam intelligendam censemus.

LXVII. Quis est tam stultus quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se usque ad vesperam esse victurum? *Cicero*. Juvenes itaque mori possunt, senes diu vivere non possunt. *Seneca*.

LXVIII. Mors propter incertos casus quotidie imminet, at propter vitæ bre-

58

brevitatem nunquam longè poteſt abeſſe. *Cicero, de fin.* Tamen nemo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere. *Id. de ſenect.*

LXVIIII. Quid in rebus humanis certius eſt morte, quid incertius hora mortis invenitur? Senibus mors eſt in januis, juvenibus verò in inſidiis. *D. Bernardus*.

LXX. Mortis diem omnes affuturum ſciunt: eum tamen omnes differre conantur: Tantam habet vim carnis & animæ dulce conſortium. *Auguſtinus de grat. novi teſtam.*

LXXI. Adoleſcentes mori ſic mihi videntur, ut cùm aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: ſenes autem ſic, ut ſua ſponte, nulla adhibita vi, conſumptus ignis extinguitur. *Cicero*.

LXXII. Innumerabilia ſunt mortis ſigna, ſalutis ſecuritatiſque nulla ſunt. *Plin. l. 7. c. 15.* Sic morbis innumeris una objicitur ſanitas.

LXXIII. Mortis ſigna ſunt delirare, convulſione premi. *Hippocr. l. 4. de morb. popul.* ſi præter corporis artuumque gravitatem ungues livent ac digiti, mors in propinquo eſt. *Idem, l. 3. Coac.* ſi æger in veſte aut ſtragulis floccos legit, fimbriaſque deducit; vel in adjuncto pariete, ſi qua minuta eminent, carpit &c. mortem præ foribus eſſe nunciant.

LXXIV. Propinqua mors ob carnes nigras interdum arcetur, non verò ob carnes lividas: liveſcunt enim ab extincto calore vivifico, διὰ τὴν νέκρωσιν, qui irreparabilis eſt. Nigreſcunt aliquando διὰ τὴν ἐγχύμωσιν, quam ſanat amputatio. *Hippocr. lib. 2. progn.*

LXXV. Nil melius æterna lex fecit, quàm quòd unum introitum nobis ad vitam dedit, multos exitus. *Seneca*.

LXXVI. Nudus dum naſcitur homo hanc orbis provinciam ingrediens, nil aliud ſecum fert quàm moriendi neceſſitatem. Hinc Pyrrhon aiebat nihil intereſſe inter vitam & mortem, quare dicenti; Cur itaque non moreris, reſpondit; Quia nil intereſt.

LXXVII. Mors neque circa vivos neque circa defunctos eſt. Quomodo dicis ò Socrates? Quoniam circa vivos quidem non eſt: defuncti verò non exiſtunt. *Plato*.

LXXVIII. Natura nihil hominibus brevitate vitæ elargita eſt melius. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocata morte, ut nullum frequentius ſit votum. *Seneca*.

LXXVIIII. Mors non tam cita à vulnerato corde aut abſciſſo, quàm à contuſo cerebro aut capite obtruncato. Hîc enim continuò ceſſat animalitas, per abſolutam privationem ſenſus & motus; quæ avulſo corde aliquantiſper manet. *Duretus, in comm. Hippocr. coac. 8.*

LXXX. Miſeret & pudet æſtimantem, quàm ſit frivola animantium ſuperbiſſimi origo. Cùm plerumque abortus cauſa fiat à lucernarum extinctu. *Plin. l. 7. c. 7.*

LXXXI. Quantulo ſerpentis ictus dente perit homo. Anacreon Poëta acino uvæ paſſæ. Fabius Senator Prætor in lactis hauſtu uno pilo ſtrangulatus. *Id. ibid.*

LXXXII. Gaudio obiere præter Chilonem, Sophocles & Dionyſius Siciliæ tyrannus. Mater, pugna illa cannenſi, filio incolumi viſo, contra falſum nuncium. Pudore Diodorus ſapientiæ dialecticæ profeſſor, luſoria quæſtione non protinus ad interrogationes Stilponis diſſoluta. Cornelius

Gal-

Gallus Prætorius & T. Ætherius Eques Romanus in venere obierunt. *Plinius*, *l.* 7. *c.* 53.

LXXXIII. Mori ex nimio gaudio contingit, cùm effusa derepentè flamma undique vitali spiritus & sanguis cor deserunt, impetuque concitato exteriora petunt. Hinc calor vitalis discutitur, spiritus dissipantur, & mors subsequitur.

LXXXIV. Mortuos esse multos ob metum & timorem testantur Plinius, Valerius Maximus & alii. Quod contingit cùm calor vitalis suffocatur, impetu enim sanguis & spiritus exteriora deserunt & ad cor ruunt. Hinc timore perciti, extimis partibus illicò refrigerantur, corpore toto tremunt, secundum ora pallescunt, voce interrumpuntur, viribusque concidunt.

LXXXV. Qui mortem non timet, magnum is sibi præsidium ac beatam vitam comparavit. *Cicero*, 2. *Tuscul.*

LXXXVI. Mors omnibus communis est, nec ullis viribus arceri potest fati necessitas: Ipse Patroclus obiit. *Homerus*. Βροτοῖ ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται. *Euripides*. Et illud ferre, boni viri est. *Socrates*.

LXXXVII. Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. *Plin. lib.* 7. *cap.* 8. In pedes procedere nascentem contra naturam est, quo argumento eos appellavere Agrippas, ut ægrè partos. *Id. ibid.*

LXXXVIII. Nudi omnes nascimur, nudi morimur: Nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi fortè quia graviùs fœtent divitum corpora, distenta luxuriâ. *Ambrosius in Examer.*

LXXXVIIII. Mors bona est laboris corona, fœlicitatis porta, vitæ janua. *Bernardus*. Fortium virorum otium, improborum verò & ignavorum laborem esse dixit Epaminondas. Hinc quæsitus olim Gorgias Leontinus Orator jam senex, an mortem æquo animo ferret, si è vita vocaretur, respondit: Ex putri & defluente domuncula non invitus discedo.

XC. Mors irruit cùm quis minus eam expectat & in qua hora non putamus; nulli ignoscens:

: : : *Mors æquo pulsat pede*
Pauperum tabernas Regumque turres. Horatius.

XCI. Mors nihil ad nos: nam quod dissolutum est sensu privatur: Quod autem sensus expers est, id nihil ad nos. *Epicurus*.

XCII. Homini fortunato brevis est vita, infortunato longa. Mors ultima linea rerum.

XCIII. Omni ætati mors communis est. *Cicero in Tusc.* Hinc omnes morimur, & quasi aquæ delabimur in terram, quæ non revertuntur. *SS. Script. l.* 2. *Reg.* 14.

COROLLARIA.

Vita fatale debitum eſt à Majoribus acceptum, à Nobis perſolvendum.

Cur homo à ſuppliciis vitam auſpicatur?

Cur naſcentes lacrymantur, morientes tremunt?

Statura magna aut parva nec felicitatem nec longævitatem facit.

An mares longæviores ſint fœminis?

Cur Auguſtus & Livia inter ſe ſteriles fuerint, qui aliis juncti generaverant?

Cur morietur homo cui Salvia creſcit in horto? Contra vim mortis non eſt medicamen in hortis.

Longiùs aut propiùs Mors ſua quemque manet.

Mors omnia ſolvit.

FINIS.